

fidem nunquam ista natio coluit, in Orat. pro Flacco: vel etiam querimonia Augustini l. 6. c. 16. Confessionum, quod multi diligenter obseruent pacta literarum & Syllabarum a prioribus locutoribus accepta, a Deo vero accepta aeterna, pacta perpetuae salutis negligant, vt, qui illa sonorum vetera placita tenet aut docet, si contra disciplinam sine aspiratione primae Syllabae, non hominem sed ominem dixerit, displiceat magis hominibus, quam si contra Dei praecepta hominem oderit, cum sit homo. Discipulis, si *sapidos studiorum fructus gustare pietatisque promissionum participes fieri appetunt, opus est, vt ante omnia cultui diuino vacent, & non, vti hucusque plerisque in more positum fuit, circa octauam demum horam aedes meas praetereant, sed potius publicis precibus intersint, noctu atque interdium literis incumbant, Praeceptoribus morem gerant, hospitum suorum, qui per integrum annum non absque sumptibus cibum & potum illis suppeditant, liberos fideliter condocesciant, veriuerbium illud, Grauius peccatum est, corrumpere puerum, quam puellam, nunquam non animo agitantibus suis, hospitibus in re familiari auxiliatrices manus praebere, mensam sternere, à poculis illis esse, & id genus alia scholastico ordini non indecora officia praestare, non superbiorum & ingratorum quorundam more detredent, sed promptos ad ea se exhibeant; Honoratiores praetereuntes, non ad male moratorum exempla, ac si passerculi sub pilo lateant, metuentes ne auolent, caput opertum habeant, sed potius contriti vetustate prouerbii, Honor non est honorati, sed honorantis, memores caput aperiant, eosque reuereantur, non Scholam Schola saepe mutant, & cum erronibus hinc inde vagentur, sed, quemadmodum Popilius Antiochum, cum tempus differret, virgula stantem circumscripsit, dixitque, se non ante renunciaturum Senatui, nisi prius sibi respondisset, quid facturum esset, quam ex illa circumscriptione excederet, vt habetur Philippica octaua, ita puer, qui solidi quid discere vult, si semel bene constitutam Scholam ingressus fuerit, non ante egredietur, quam ad omnia triuialia rite respondere possit, necesse habet. Praecipue vero ab otio, belluationibus omnibusque vitiis abstineant, imò, vt tetras & immanes belluas ea fugiant, & bene secum reputent, quod aliquando supremus Iudex tam, quid legerint, quam quid egerint? & Docentes & Discipulos quaesiturus sit, vt Theologus quidam apte & rotunde loqui amat. Dolori mihi & aegritudini est, inquit Herodes Atticus apud Gellium l. 9. c. 2. Noctium Atticarum, quod multa spurca animalia &*

pro-